

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3963

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1284, août

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime une charte du bailli de Rouen, par laquelle le bailli accorde à l'abbé et aux moines de Saint-Ouen de Rouen de posséder leurs acquêts faits depuis 40 ans et approuve le contenu de cette charte.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1035, p. 268-269.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras sigillo ballivie nostre Rothomagensis sigillatas vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, ballivus Rothomagensis, salutem. Cum viri religiosi abbas et conventus sancti Audoeni Rothomagensis, juxta tenorem ordinationis domini regis, super retinendis perpetuo acquisitis per ipsos a quadraginta annis citra, nomine ipsius domini regis, nobiscum finaverint, que sunt hec, videlicet : ex venditione Radulfi de Parco et Roberti filii ejus, quidam boscus et unus campus situs juxta dictum boscum, continens quinque acres terre, in parrochia beate Marie de Campis ; item, ex venditione Michaelis de Pormor, armigeri, quinquaginta quinque solidi turonenses, vigenti (sic) capones et ducenta ova annui redditus in parrochia sancti Martini de Hommo ; item, ex venditione Ricardi de Lethes, armigeri, et Julianae uxoris ejus, in parrochia de Homino, unum molendinum ad bladum, cum piscaria ejusdem, unum manerium cum gardino, et cum quadam parvo pratello et pertinentiis eorumdem ; item, una pechia terre ; item, quatuor acre prati ; item, omnes redditus quos habebant seu habere debebant et poterant annuatim ibidem, sicut in quarta (sic) dictorum Richardi et ejus uxoris super dictis redditibus confecta plenius continetur ; item, ex venditione Guillelmi dicti le Feron, civis Rothomagensis, et Petronille uxoris ejus, in parrochias beate Marie de Bondevilla, sancti Dyonisii de Abbatia, sancti Martini de Hommo, beate Marie de Campis, et sancti Johannis de Cardoinato, boscus qui fuit Henrici de Parco, terre Vallearum, boscus de Fay, cum terris que sunt desuper et quicquid habebant dicti Guillelmus et ejus uxor et habere poterant et debebant, in feodis de Lyefremont et de Pormor ; duo molendina, unum ad bladum, et aliud ad tannum, videlicet molendinum ad bladum quod sedet in parrochia sancti Dyonisii antedicti, et molendinum ad tannum quod sedet in parrochia de Hommo, cum pertinentiis dictorum molendinorum ; pratum de Joncheia, situm juxta pratum Martini de Sauceyo ; campus Chymer, situs inter nemora domini de Bondevilla ; costillum quod fuit Henrici de Parco ; item, tres solidi octo denarii, unus capo et unus denarius ; item quindecim solidi turonenses annui redditus ; item, sex solidi tres capones et tres galline ; iterum, super Nicholaum de Haiis, sex

denarii ; item super Johannem de Piemont, decem solidi ; item super Johannem Gervese, quatuor solidi et unus capo ; item super Alberedam de Ponte, quinque solidi ; item, super Radulphum Dou, duo solidi ; iterum [super] Aaliciam Marie, quatuor solidi, unus capo et dimidius et unus denarius ; item, super Johannem de Haiis, quatuor solidi et sex denarii ; item, super Johannem Gervese, duodecim denarii ; item, super Gaufridum Marrien, due galline ; item, super heredes Johannis Caperon, viginti solidi ; item, super Gaufridum Osane et super Lucam Vinet, tres solidi ; item, super Gaufridum Osane, quinque solidi, unus capo et unus denarius ; iterum, super Guillelmum Mase, duodecim denarii et dimidia gallina redditus annualis, cum omni jure, dominio, serviciis, homagiis et rebus aliis quibuscumque, que dictus Guillelmus et ejus uxor habebant et habere poterant, in predictis parrochiis, locis, hominibus, tenementis, et terris supradictis ; item, ex dono Nicholai Enguelart, unum guardinum, situm in parrochia de Hommo ; item, novem solidi monete currentis anni redditus ; item, pratum quod fuit Alberede de Ponte, situm in parrochia de Hommo supradicta. Hanc autem finationem, nomine ipsius domini regis, ratam habemus et gratam, ita quod dicti religiosi possint predicta omnia tenere ac etiam pacifice possidere, sine coactione aliqua vendendi eadem seu extra manum suam ponendi, salvo tamen jure domini regis in aliis, et jure cuiuslibet alieno. In cuius rei testimonium, sigillum ballivie Rothomagi presentibus litteris duximus apponendum. Actum anno Domini M^o ducentesimo octogesimo quarto mense augusti.

Nos autem finationem predictam et omnia alia, prout superius sunt expressa, rata habentes et grata, volumus et concedimus, quantum in nobis, quod dicti abbas et conventus omnes res predictas teneant et possideant perpetuo, ut dictum est, salvo in aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense Augusto.